

pitum suorum super se inuicē ponere : deniq; si quando vel ex pugna cum serpentibus, vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel natando fatigatur ardentissimē sitire solet aquas, neque ab eis inquirendis vlla vel tenetur amoenitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam & cum serpentibus carnalium cupiditatū bellum perpetuō gerit ; & cum temptationibus, vel perseguitionibus premitur, ad mōtem cōtemplationis fugit , & infirmorum molestias patienter tolerat; sed præcipue summo desiderio Deum sitit, neq; vlla terrena fœlicitate , vel aduersitate impeditur, quo minus ad Deum semper anhelēt. Talis erat Dauid , quamuis vxoratus , quamuis Rex, quamuis miles , talis Paulus , talis Petrus, tales Apostoli cæteri , & Martyres , tales omnes , qui exilium agnoscentes , siue per prospera , siue per aduersa gradientes cursum ad patriam nunquam relaxabant.

## II. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum : quando veniam , & apparebo ante faciem Dei?

Declarat apertius , quid sit desiderare Deum, & simul aperit , cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotauit , quæ amore , ac per hoc sitim , & desiderium accendere solent; pulchritudo , beneficia , & amor : nam & res pulchræ amari se quodam modo cogunt, & qui beneficia præstant ad se amādos prouocant , & qui amant redamari merentur. Sed si hæc tria in vnum conueniant , id est, si persona aliqua pulcherrima , & nobilissima, te summis & quotidianis afficiat beneficiis , & eundem te maximi faciat, teq; ardentissimē amet, quo modo nō vehementissimam in tuo pectore flammam amoris accendet ? Hæc igitur tria in Deum conuenire Dauid hoc loco docet , & ideo sitire se Deum i. amore , & desiderio eius ardere se dicit. Sitiuit, inquit, anima mea ad Deū, id est, ad rem pulcherrimam , nobilissimā, præstantissimam , quæ bona omnia in se vna complectitur. Fortem , id est, ad rem

non fluxam, & caducam; sed stabilem, permanētem, æternam. Viuum, id est, ad rem operantem, intelligentem, amantem, quæ nos continuis beneficiis afficit , quæ nos magnificat, quæque nos incredibili amore diligit. Hæc ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem , cogit ex toto corde dicere , Quando veniam , & apparebo ante faciem Dei ? id est, quando finis erit peregrinationis ? quando initium fruitionis ? Ex hebræo clarius verti posset, Quando veniam, & videbo faciem Dei? Id enim solum est , quod sitim animæ rationalis explere potest.

\* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes III. die, ac nocte , dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?

Qui verè , & intimè cogitat tria quæ diximus, videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum , & omnia quæ nos habemus ab illo, vt à fonte manare, & eundem ipsum tanti nos æstimare, atq; ita nos diligere, vt filium suum vnigenitum pro nobis dederit: fieri non potest, quin lacrymis desiderii opprimatur , dum visio tanti boni differtur. Dauid igitur , qui ista seriò contemplabatur, rectè adiungit, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die , ac nocte, id est, lachrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies, & noctes, id est, toto tempore huius peregrinationis, vel, per dies prosperitatis , & noctes aduersitatis : nam renuit anima mea cōsolari terrena fœlicitate, nec minus renuit contristari terrena aduersitate; sed vitroque tempore lacrymæ meæ fuctunt mihi cibus, & potus, dum dicitur mihi quotidie ab impiis, & incredulis, Vbi est Deus tuus ? ad quem sitis ? cui suspiras ? cur diligis quem non vides ? Sed posset etiam sic exponi, Dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus, id est, dum quotidie per circuitum omnia lustro quærēs quem diligit anima mea, & dicitur mihi à spiritu meo, à cogitatione mea, vbi est Deus tuus? hæc enim omnia, quæ contemplando perlustrasti , opera sunt Dei , pulchra quidem omnia , sed non sicut Deus tuus : vbi est igitur Deus.